2

DE

CHRISTI CRVCIATIBVS, ET MORTE

PIÆ NÆNIÆ,

SIVE

MEDITATIONES

FABII PAVLINI

AD CLEMENTEM OCTAVVM

Pontificem Optimum Maximum.



Apud Ioannem Baptistam Ciottum. Acad. Venetum. 1600.



CLEMENTI VIII
Pontif. Opt. Max.



STATVERAM B. P. ad vrbem ipse accedere hoc tempore Ieiunij, vt animam Sacrosancto Iubilæi (vt vocant) abs te propositi piaculo expiarem, sed cum temporũ asperitates, & meæ valetudinis, qua parum firma vtor, ratio me deterrerent, in hac opinione, & deliberatione versanti, nescio quis siue diuinus spiritus, qui vbi vult spirat, siue naturæ, & pij Genij instinctus eam mihi mentem iniecit, vt aliquod saltem pietatis absens testimonium darem. Redij igitur in gratiam (vt potui) cum Musis, quæ mihi iratæ, quòd eas iampridem medicinæ causa prope abiecerim, & earum vsum intermiserim, animo erant valde abalienato, atq; tres has de Cruciatibus, & morte CHRISTI meditatiunculas olim exaratas rursus sub incudem reuocaui, & (vt licuit per summas occupationes cum publice prælegendi, tum facien-

di medicinam) emendaui, quas ad te summum illius in terris Vicarium, maximumque Pontificem nunc quasi animæ tributum Patrum antiquorum exemplo mitto. & hac occasione meas ipsas Musas, & plectrum, CHRISTO primum ipsi, TIBI deinde illius hic vicesgerenti tanquam perfunctum iam mortalibus officijs Sacro, atque dico in nullos amplius vsus præsertim prophanos adhibiturum me professus. Tu Pater Beatissime, qui Sacrosancti numinis aura in omnibus duceris, quam excitauit illa mentem, quamuis in homine humili, ne aspernere, & tuam mihi absens absenti impertire benedictionem.

Vale Venet. Idib. Martij ∞ I Ɔ C.

Sanctitati tuæ

addictissimus, & obseruantissimus.

Fabius Paulinus.

DE CHRISTI CRVCIATIBVS, ET MORTE

MEDITATIO PRIMA.

De Iudæorum Crudelitate in CHRISTVM, & illius in nos amore.



VAE fera te rabies in tantas impulit iras
IERVSALEM? una Deo quondam dilecta, nefandi
Nunc sceleris, nunc facta sacri rea criminis, heu quæ
Nam quæ te miseram lusit dementia? sanam
Quis furor eripuit tibi mentem? quis nouus error
Armata in furias succendit pectora? Regem,
Atque Deum malesana tuum non dedere letho
Tu verita, & sancto maculari sanguine, quem tu
Aeterna, serique luent quoque morte Nepotes?
Proh scelus indignum (quid non mortalia cogis
Pectora liuor edax?) potuisti ingrata salutis
Humanæ auctorem hac suspendere in arbore, diris
Affectum opprobrijs, ignominiaque perenni?
Nullaque diuini tenuit reuerentia vultus
Non timor, aut pietas, crudelem flectere mentem

Con-

Consilium aut sæuum potuit? quid? ferrea duro
Pectora corda rigent? miseri non cernitis? ah non
Percipitis cæca mersi caligine mentis?
Hic DEVS *est, hic factus homo* DEVS, *alma Tonanti*
Hic soboles æquæua DEO, *qui lapsus ab astris,*
Ut veterum sordes, & prisci errata parentis
Deleat, ac iustam Genitoris leniat iram
Unus pro cunctis moriturus, ut ante tot annos
Venturum casto cecinerunt pectore vates,
Vates æthereа contacti numinis aura.
Proh dolor, abiectum turpi hæret stipite corpus
Vera propago Dei, Deus ipse, ex lumine lumen
Aeterno genitum, qui nutu temperat orbem,
Astra supercilio qui torquet, quem vagus æther,
Quem tellus colit, atque animæ, quem suspicit æquor,
Et super ætherei flammantia limina cæli
Cælestes laudant cætus, semperque canentum
Dulcia commotum per tentant gaudia pectus.
Quid? palmas ne Dei clauus crudelis adegit?
Sustinuit manuum palmas configere ferrum?
Quæ ferrum genuere, domantemque aspera ferri
Vulcanum, cælo quæ axes struxere, suumque
Oceano strauere salum, quarum labor unus
Omnia sunt demum, quæ lustrat lumine Titan.
Certe ego crediderim ferrum abstinuisse, sed illa
Non manus abstinuit scelerata Satellitis, ipsa
Durior & ferro, rigidoque adamante, vel ære.

Illa

Illa ne ſueta Poli moderari dextera habenas,
Et conſueta graui moliri fulmina telo,
Fulmina non Rhodopen, non alta Ceraunia caſu
Deijcere, at ſolita hoſtiles confringere turmas,
Et quatere inſanas conſulto turbine moles,
Ut moniti diſcant cœlum non temnere reges;
Hæret fixa cruci capitato peruia ferro?
Sanctaque cæſaries diademate ſolis, & aſtris
Cincta olim, quæ mota erebum tremefecit, & alto
Concuſſa tellure metu perterruit orbem,
Heu ſcelus, heu premitur ſpinis, nodantur acutos
In dumos fuſo concreti ſanguine crines?
Heu frons, heu vultus dilata nube ſerenus,
Sedes lætitiæ, ſolitus ſedare ſonantes,
Aſpectu tempeſtates, tumidaſq; procellas,
Et nigra turbato diducere nubila cælo:
Cur ſubito infando mutauit gaudia luctu
Turpatus tabo; lachrymiſque cadentibus vſque
Declinat, neque ſacra tenet ſua robora ceruix?
Ac velut imbre madens culto narciſſus in horto
Pondere depreſſus, ſi uenti flamina lente
Crebreſcentis agant, nunc hac, nunc flectitur illa
Parte grauis, ſic parte nequit requieſcere in vlla.
Heu quonam ſanctæ ceſſit facundia linguæ,
Triſtis & extemplo compreſſo obmutuit ore?
Aruit Eloquij fons? infans copia fandi eſt?
Copia Neſtorei cui cedat gloria mellis,

Ce-

Cedat & ipse pater Linus, concedat & Orpheus,
Et qui Thebanas cantando condidit arces,
Parua loquor, cæli hunc, & sidera sæpe loquentem
Obstupuere, suum mira dulcedine captus
Sol tenuit cursum, tenuerunt flamina venti,
Nec vaga præcipites agitarunt flumina cursus,
Sæpius immotis volucris super aere pennis
Substitit, & sancto narrantis ab ore pependit,
Ac quadrupes mirata Deum pia verba loquentem
Immemor herbarum, atque arrectis auribus hausit,
Quin summo cæli de vertice lapsa repente
Agmina cælituum nimbis circumdata, turbis;
Nescia lætanti dominum cinxere corona,
Inde, vbi conticuit, succo sparsere salubris
Ambrosiæ, lateque locus flagrauit odore,
Atque epulas etiam venerata apponere Diuum,
Fundereque assuerant cæleste in pocula nectar,
Et nunc (heu facinus) proh gens crudelis; aceto
Felleque mordaci rorantia pocula miscet?
Hos calices sitienti porrigis improba? dulces
Non Bacchi latices sitienti, aut ore falernum,
Sed nostris animis sitienti in corde salutem?
En pectus solitum diuinos fundere rores,
Et manna cæleste, gregem quo pastor alebat;
Proh dolor, immani patefactum cuspidis ictu
Torpet, & admixto lustrales sanguine lymphas
Fundit humi, fluidoque madent noua gramina riuo:
Heu

Heu sacri flammis radiantia lumina amoris,
Astrorum decus, & celsi duo sidera Olympi,
E quibus accendit rutilus vaga lumina Phœbus,
Cum primum æquoreis consurgens aureus vndis
Diluit obtentum tenebris humentibus orbem,
Lumina supplicibus toties largita salutem,
Lumina, quæ solo aspectu potuere relictæ
Admonuisse viæ, errantemque reducere caulas
Ad gregis obliti pecudem, atque inhibere rapinam,
Qui lapsæ siccis instabat faucibus, Orci,
In sæua nunc morte natant, atque omnia circum
Plena vident telis, inimicis, cæde, malisque
Obruta lætiferis clauduntur fusca tenebris?
Ah ne etiam plantas clauo terebrastis acuto
Crudeles? nulla vt liceat cognoscere toto
Corpore non vestrum testantia membra furorem?
His pedibus calcare poli vaga sidera, & orbes
Assuetis, Stygium pressuris protinus anguem,
Sæpe quibus substrata solum dedit Amphitrite,
Dicere lingua horret, voxque hæret faucibus, heu nunc
Confixis ferro ater liquitur vndique riuis,
Terramque, & dumos conspergit sanguis acutos?
Impia gens reddis meritis hæc munera tantis?
Hæc merces magnorum operum? hæc sunt præmia vitæ
Seruatæ toties? sic Regem in Sceptra reponis?
O Amor, ò Pietas hominum miserata labores,
O amor, humanæque ardor diuinæ salutis,

DE CHRISTI CRVC.

Feruide, dulcis amor, nulli memorabilis, hunc Tu
Mortale hoc corpus, deducens æthere, vestis,
Inq; Crucem tollis Tu, Tu iacis in mala tanta
Præcipitem, infando cumulans tormenta dolore.
Nam nisi sacra tua succensus pectora flamma
Ipse suum pater omnipotens caput obiectasset
Casibus his, durosq; adiisset sponte labores,
Castra nihil Iudæa tibi, nihil arma, cohorsq;
Infelix valuissent, non si tartara, & orbis
Terrarum totus iunxißent agmina, non si
Terrigenum scelerosa manus rescindere quondam
Coniurata polum, cum montes montibus altis
Impositi summo tetigerunt vertice nubes.

F I N I S.

DE CHRISTI CRVCIATIBVS, AC MORTE

MEDITATIO SECVNDA:

Inuitantur Christiani ad lachrymas, & Pœnitentiam occasione ieiunij, & Iubilæi.



T vos, uos quibus ò melior sententia cordi est
CHRISTIADAE, nisi vestra nouum præcordia marmor
Induit, & rigido stant vobis pectora ferro:
Si passus tantos pro vobis sponte labores,
Si vestram proprio pensauit sanguine vitam:
Ah saltem lachrymas, saltem suspiria CHRISTO
Reddite, nec sicco recolat crudelia vultu
Facta quis; at plenis humectet lumina riuis,
Lamenta ingeminent, & planctus ad alta facessat
Sidera, præsidium diro gens impia letho
Extinxit nostrum, columen, decus, incrementum.
Et pudeat ratione carentia, sensibus orba
Morte Dei commota magis superare dolendo.
En caput auratum picea ferrugine Titan
Obduxit, casu domini labefactus, & altas
Ingrato æternum tenebras induceret Orbi,
Supremi nisi iussa vetent haud mollia Regis:

Tecta genas nigra siluit caligine Phœbe,
Candidaq; atratis mutauit carbasa velis,
Scabra situ, præ se declarans funera vultu.
Sidera flent, Elementa dolent, iam nubila & imbres
In lachrymas abeunt, herbis sitientibus, almo
Iam lachrymæ pro rore cadunt, rubigine cœlum
Inficitur, tanto rerum perterrita motu
Astat in obtutu Natura immobilis vno,
Et velut insano tumidum quem numine dæmon
Attonuit; vel qui rerum secreta requirit
Non prius abductis quæ nostri lumina circum
Ingenij nubes caligant, inscius hæret,
Sic stupet, & causas rimatur mente latentes
Illa videns cecidisse Patrem, dominumq; Deumq;
Terra horrore nouo tremefacta ingentia sentit
Corda metu hauriri, perfusaq; sanguine tantum
Sustinuisse nefas, humerisq; subisse pudore.
Erubuit, gemituq; suum testata dolorem
Indulget lachrymis, luctusque effundit amaros,
Vnde nouo trepidi destillant margine riui,
Flebileque emittunt per saxa sonantia murmur,
Murmurat vnda, cauus reddit lachrymabile margo.
Flumina, proh domini quantus dolor ingruit? aucta
Intumuere nouo lachrymarum vortice, & altis
Fluctibus obiectas stringunt stagnantia ripas,
Sternuntur segetes, passimq; natantia plenis
Culta ruunt agris, armentaq; rusticus alta

Pro-

Prospiciens specula, stupefactus more Iuuenci,
Cum stabulis arrepta trahi miratur, & anni
Spem luget grauidam mandasse rapacibus vndis.
Oceanus magnæ tumefactus fluctibus iræ,
Et scelus indignans, summo bacchatur in æstu
Impatiens, & nunc vndis rorantia pulsat
Sidera, nunc imo terras haurire barathro
Cogitat, insano voluens cum murmure fluctus:
Interdum scopulos prorumpit ad æthera, & ictu
Verberat alterno liquefactis cautibus auras,
Et Pontum cælo, terrisq; immiscet arenas.
Robora quinetiam præruptis rupibus orta,
Et Nemora ipsa sui senserunt funera Regis,
Excutiunt frondes, curuantq; cacumina, & ingens
Pro luctu, & lachrymis fragor vndique personat, alta
Murmura crebrescunt, late pulsata resultant
Antra fragore, cauis gemitum voluentia claustris.
Marmora, & æra etiam (dictu mirabile) tangunt
Funera, desudant lachrymis manantia, saxum
Quodcunque aspicias, Nioben liquescere credas.
Flumina non libant, non tortas graminis herbas
Adductis tondent per prata virentia malis
Quadrupedes, errant immixtæ montibus altis.
Non prædæ meminere Lupi, pecoriq; gementes
Illæso agglomerant posita feritate Leones,
Et late horrisonis loca vasta rugitibus implent:
Tantus in effreno regnat quoque pectore luctus.

Affli-

Afflictantur aues, auium concentus in agris
Nullus, sed mœstis rumpunt vaga culta querelis,
Nil nisi triste sonat, nil non lachrymabile, cuncta
Ploratus Philomela tuos didicere volucres
Reddere; congestos oblita reuisere nidos
Mater abest, dominoque negat se posse perempto
Viuere, nec caros iam vult educere natos,
Exciti clamore, & luctisonis lamentis,
Qui tot iam placidum requierunt sæcula manes,
Sanctorum manes olim, dum vita manebat,
Corripiunt tumulis sese, noctemque profundam
Ascensu superant, æternaque iura refigunt,
Aerias iterum rediuiui in luminis auras.
Et vos in lachrymas non ibitis ærea corda
Christiadum? durabit adhuc in pectore saxum?
Non alio mentes stolidi conuertite, sunt hæc,
Hæc sunt apta Deo placando tempora, vestris
Dum licet, ò miseri Ditis furiale venenum
Pectoribus, mentem mutati, auertite, vestra
Ex animo nunc flete admissa, huc currite puro
Abluti riuo lachrymarum, iterateque luctus,
Atque preces duris variantes pectora palmis:
Nunc exoratus veniam dabit, ecce lacertis
Promittit passis amplexum, atque aduocat omnes,
Illiusque gerens in terris Sceptra, vicesq;
OCTAVVS CLEMENS *nunc tanti nominis implens*
Vere mensuram, thesauros pandit olympi,

Dona-

Donaque diſpenſat plena cœleſtia dextra.
Vita eſt noſtra breuis, mors certa, atque vna ſalutis
Hæc via, poſt obitum concluditur illa, nec vltra
Pænituiſſe datum. quid ſtatis inertia ſaxa?
Horrificam voluenda ferent cito (credite) lucem
Tempora, terrifico quæ totum perſonet orbem
Concha ſono, & tumulis ſopitas excitet vmbras,
Corporeoſque iterum nexus, exutaque membra
Corripient omnes terra, erumpentque repente,
Ceu cadit effuſis imber cum plurimus vndis,
Et ferit immoto ſublatos æquore campos,
Innumeræ vacuos guttæ conflantur in orbes,
Huius & ante thronum ſiſtentur Iudicis, actæ
Debita pro meritis capturi præmia vitæ,
Sorte tamen non quiſque pari, aut diſcrimine paruo,
Namque alios ſupero diuos ſignabit honore,
Qui, domitis vitijs, veſtigia ſancta ſecuti,
Inſtitit ille quibus, terris impreſſa, profeſſi
Chriſtum etiam factis fuerint, non nomine tantum
Hos animo ſanctos memorati ſæpe labores;
Aethereas hæc turba domos, ſedeſque beatas
Candida victrici circumdata tempora palma
Multa petet gaudens, felicemque aurea vitam
Exiget æternum, nullis obnoxia damnis:
Aſt alij tenebroſa ruent in tartara, & auras
Iam iam exturbati linquent, nam ſæua flagello
Tiſiphone vltrici pendens in verbera curſu

Præ-

Præcipiti instabit trudens ad liuida Ditis
Regna feri, subigat sontes vt pendere pænas:
Tunc vos proh quantus miseros circumdabit horror,
Quam vos ingratæ capient mala tædia mentis;
Heu quantum sanctis non applicuisse pigebit
Auersas monitis aures, tunc ima dehiscat
Vt penitus tellus, cupietis, & inde ruinam
Montes mole trahant, vosque ab dant rupibus altis,
CHRISTI *ne vultum subeatis, at impia ferro*
Et vestra intendens luctantia colla catenis,
Hæc trahet arreptos ad iudicis ora morantes
Supplicium exposcens pro factis ipsa nefandis.
Qui vobis animus, quæ tunc sententia? nullos
Profuerit versare dolos, aut nectere fraudes,
Relligio non ficta, fides simulata, negandi
Non locus vllus erit, vitiorum pectore inustæ
Extabunt maculæ, callumque obduxerit vsus,
Non gemmæ redimen t, non auri pondera culpam,
Nullius doctæ poterit facundia linguæ,
Eloquiumve potens tutarier, afforet ipse
Non si Cecropio qui fulminat ore, vel alter
Gentis honos latiæ, Romanæ Suada medullæ.
Ille autem auertens subito pia lumina dicet.
Ite sub æternas flammas maledicta propago,
Quæque meis numquam maduerunt lumina damnis,
Tormentisque meis lachrymas, gemitumque negarunt
Vrantur cæco sine fine dolentia in Orco.

FINIS.

DE CHRISTI CRVCIATIBVS,

Et Morte

FABII PAVLINI.

MEDITATIO TERTIA.

De B. Mariæ Virginis ad Crucem Lamentatione, & Angelica ad illam Consolatione.



EV quis, me miserum, procul hinc vlulatus ad aures
Fertur? vt ingeminant luctus, ferit æthera plangor?
Quis fletus, quæve aduentat pia turba dolentum
Suppliciter matrum? crinem ab radice solutæ
Dilaniant, siccant largum spirantia fletum
Lumina, & ipsa fluunt iam lina madentia. Sed quæ
Quæ nam quæ princeps graditur mæstissima? vt altum
Corde premens gemitum transfixa doloribus ingens
Vulnus alit? viden' vt redeant suspiria ab imis
Eruta visceribus? quatiant vt pectora magni
Singultus? populetque internas cura medullas?
Ah dolor? alma Deum peperit quæ virgo, Parentis
Nunc orba est miserum simulachrũ? atq; omnib. ante

Felix dicta, Parens miserabilis est modo? quis iam
Quis teneat lachrymas. gradiens vestigia primum
Ut posuit propiora Cruci, & languentia tollens
Lumina pendentem prospexit in arbore natum,
Vulneraque effuso vidit stillantia tabo,
Victa dolore, animum facto concussa nefando,
Obtutu in medio obriguit, collapsaque flentum
Concidit in gremio matrum, voci inde canorum
Claudit iter, luctumque repente in pectore obortum
Combibit ipse dolor. qualis cum rusticus audax
Detrahit implumem, dum ludit in arbore, nidum,
Ante oculos volucris Philomelæ, exterrita primum
Illa silet, gelidaque hæret formidine lingua
Faucibus, atque oculis crudelem immobilis haurit.
Mox fœtus gemit amissos resoluta querelis
Flebilibus, folijsque sedens conquestibus omnia
Et nemora, & syluam, & late loca proxima complet:
Sic veneranda parens aspectu obmutuit illo,
Hæsit & in summo (mirum) vox missa palato,
Atque horrore comas arrecta, simillima saxo
Figit in opposita languentia lumina terra:
Ter lachrymis conata graues attollere vultus,
Ter cari spectans defecit vulnera Nati,
Ter conata loqui, ter primo restitit ore,
Et media inter verba sonus, nec perculit auras.
Mox vbi consuetum sibi iam spirabile lumen
Fecit iter, vocique simul patefactaque luctu

Est

Est via, proceram complexa patentibus vlnis
Mœsta crucem, largo perfundens flumine lignum,
Has tandem casto rupit de pectore voces.
Nate meum decus & columen, solatia solus,
Nate meæ spes vna, quiesque extrema senectæ
Hinc pendes? hic te aspicio? nate optime matrem
Siccine supremo lachrymantem deseris æuo?
Cui nam tanta tui libertas tradita? tantum
Cui de te licuit? facto scelerare nefando
Sustinuere manus? quæ nam fera adegit Erynnis
Hoc patrare scelus? potis his humana subesse
Pectora? committant homines tam immania? acerbi
Quod genus hoc lethi? quæ sunt tormenta? prophanum
Quis morem instituit? celsæ liuentia pendes
Membra cruci affixus, conscissus pectora ferro,
Sanguine, vulneribusque fluens, iam vulnera totus,
Non habet altera plaga locum, tibi terra negatur,
Et caput induta dumis ceruice recumbit.
Quod caput humanum potuisset tot dare pœnas,
Suppliciumque haurire ingens? crudelius vsquàm,
Aethereo lustras dum totas lumine terras
Vidisti genus ò Phœbe? aut maiora nefandæ
Sæuitiæ monumenta? Patrem, Regemque, Deumque
Omnia promeritum subigunt has pendere pœnas,
Insolito diri exemplo, & plusquam effera corda.
Tu vero agnus ouisque, Dei quasi victima, solus
Omnia sustentas; pateris nate omnia solus,

Vt pelagi rupes, quæ hyberni flatibus austri
Tunditur, assiduisque sonat pulsata procellis,
Stans immota tamen duplicatos sustinet ictus.
Hos ego non tantos sperabam mœsta dolores,
Quamuis relligione Parens venerandus, & annis,
Multa horrenda canens monuisset: pectora ferrum
Hoc mea transadigit? sunt hæc mea vulnera? Vates
Heu nimium mihi vere, nimis mihi vera locute,
Concepto maiora metu mea sunt mala; quæ nam
Heu quibus anteferam? aut vnde exordiar? vrgent
Si tanta, vt nunquam valeam enumerare loquendo?
Non miseræ extremo natum data copia matri
Tempore complecti, atque nouissima verba referre,
Oscula non possum nisi duro figere ligno,
Nec datur effusum lino siccare cruorem,
Respersosve artus lachrymis, vel vulnera lymphis
Abluere, aut animam extremo expirantis ab ore
Excipere, orbarum suprema leuamina matrum.
Omnia deficiunt demum solatia: non est
Cur cupiam amisso vitam producere nato,
Funeribus mi nate tuis orbata superstim?
Non potis hoc, non tale meo votum excidat ore:
Non potis extincto vitali lumine corpus
Viuere, tu mea vita, animæ pars maxima nostræ,
Quodque mei superest lachrymarum vi intus oborta
Scintillas animi restingui sentio iam iam.
Tu pater omnipotens, mihi tu, cui summa potestas

Est

Est rerum, castum retinens si rite pudorem
Et genitrix & Virgo fui, sine coniuge coniux:
Si mea promeruit mens quicquam dedita sacris
Usque tuis, semperque tibi obsequiosa voluntas,
Da pater auxilium, atque ærumnis eripe fessam,
Hanc vnam extremo veniam mihi tempore, & vnum
Hoc precor officium pietatis, tu mihi tantum hoc
Exequere, afflictis tibi mos succurrere: fixum
Si sedet hoc animo, si hic menti terminus hæret,
Ut veterum sordes, effuso sanguine, Natus
Abluat, obstructi referet qui limina cœli,
Si tibi pro cunctis vnum caput obiectare
Supplicijs, pœnisque iuuat; me nexibus huius
Corporis exoluas, nato comiti ire per vmbras
Elysias, veteres mihi sit spectare parentes,
Et natum sancta spoliantem Tartara præda;
Dixerat. Exanimem rursum excepere sorores
Collapsam gremio, & dictis solantur amicis;
Illa simul nato cupiens abrumpere lucem,
Usque patri æterno supplex languentia pandit
Brachia, suspiciens Cælum, precibusque fatigat:
Protinus ecce Puer celso de vertice olympi
Aliger aspicitur liquidum per inane volare,
Præcipiti sulcat qui cæli cærula penna,
Non secus ac nubes, Boreæ quam flamina pellant,
Cernentumque oculos matrum stupor vrget, & ista
Prostratos nouitate animos pauor occupat, alta

Hic

Hic montis tetigit cum prima cacumina plantis ;
Remigio alarum posito, Zephirisque remotis,
Reginam concussam animo, natique gementem
Funera submisso iam poplite pronus adorans :
Porrecta largam donabat fronte salutem ;
Spinosas mox deinde parans traducere curas,
Aeterno tales fudit de pectore voces.
Exue Dia metum ; longas iam pone querelas,
Desine iam luctus, veniamque hanc mitte precari
Cælestum regem ; votisque vrgere, sed ista
Accipe, quæ celeres summus mandata per auras
Ferre Pater iussit tristis solatia casus ;
Tertia lux natum victorem, tertia sistet
Lux reducem, incolumemque tibi, vanescere in auras
Nec dubites, nota quæ refert voce Minister;
Tantum mortalis sensit pars vulnera, at expers
Intactum, atque immune manet, nulli superabile, cælo
Quod traxit, subeunda hominis certamina, nulli
Ante datur, quam bella gerat; victoria Regi,
At velut, affixus qua pendet in arbore, Palma,
Quo mage deprimitur congesto pondere, nixu
Se maiori attollit, & astra cacumine pulsat,
Sic æterna sacer renouabit sæcula Phœnix
Victor ouans, soboles tua, vbique aurora nitentem
Tunc crinem extulerit, primoque oriente recedant
Astra fugata polo, spolijs Acherontis onustum
Excipies natum, rutilis fulgore Quadrigis

In-